Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Philippi Melanchthonis Grammatica Latina

Melanchthon, Philipp

Wittebergae, 1621

Caput XV. De phalaecio

urn:nbn:de:bsz:31-112308

Visual Library

† *Unde dicitur Verſus Sapphicus?*

A Sappho Poetria Lesbiâ, inventrice.

△ *Quæ eſt præcipua virtus Sapphici?*

Habere Cæſuram in initio tertiæ regionis. *ut:*

Inte/ger vi/tæ.
Non e/get Mau/ri.
Nec ve/nena/tis.

Caput XV.

DE PHALÆCIO

† *Quid eſt genus Phalæcium?*

Qvod conſtat Verſibus Phalæciis.

† *Quid eſt Verſus Phalæcius?*

Eſt Verſus Pentameter, habens in prima regione Spondeum, in Secunda Dactylum, in reliqvis tribus Trochæum.

† *Da typum Phalæcii.*

1	2	3	4	5
— —	— ∪ ∪	— ∪	— ∪	— ∪

Si vitare voles acerba qvædam,
Et triſtes animi cavere morſus,
Nulli te facias nimis ſodalem;
Gaudebis minùs & minùs dolebis.

△ Nota. In prima regione etiam Trochæus vel Iambus locum habere poteſt. *ut:*

Ari/ — ∪ *da modò pumice expolitum.*
Meas ∪ — *eſſe aliqvid putare nugas.*

Catullus etiam in ſecunda, pro Dactylo interdum uſurpat Spondeum; qvod non eſt imitandum. *ut: Epigr.* 52.

Oramus ſi — — fortè non moleſtum eſt,
Fæmellas o — — mnes amice prendi.
Si lingvam clau — — ſo tenes in ore.
Verboſa gau — — det Venus loqvela.
Non cuſtos ſi — — fingar, ille cœtum.
Et multis lan — — gvoribus pereſus.

† *Unde nomen habet?*

Ab autore & inventore Phalæco.

† *Qvomodo aliàs appellatur?*

Hendecaſyllabum, ab undecim ſyllabarum numero. *Qvod nomen etiam Sapphico tribui poſſet.*

CAPUT XVI.

DE CHORIAMBICO.

† *Qvid eſt Choriambicum?*

Qvod conſtat Verſibus Choriambicis.

† *Qvid eſt Verſus Choriambicus?*

Eſt verſus tetrameter, habens in prima regione Spondeum; in ſecunda & tertia Choriambum, & in qvarta Jambum.

† *Da typum Choriambici?*

1	2	3	4
— —	— ∪ ∪ —	— ∪ ∪ —	∪ —

Inventor rutili dux bone luminis,
Qvi certis vicibus tempora dividis.

† *Unde dicitur Verſus Choriambicus?*

A pede præcipuo Choriambo.

† *Qvomodo aliàs appellatur?*

Aſclepiadeus, ab Aſclepiade celebratore.

CAP.